

Primo: tam Administratori. quam reliquis subalternis Comitatus Officialibus ante omnia incumbet, ut in Comitatu ipsis concredito continuo resideant & Officiis suis diligenter praesint, cumprimis vero Gloriam Dei Omnipotentis & Religionem Orthodoxam Romano Catholicam pro exigentia Legum Regni, pro parte praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae & Slavoniae conditarum, omnimode promovere & propagare satagant. Sed quia Syrmii & Slavoniae Incolae potissima in parte Graecum Ritum profiterentur, hi vero cum Clero Ipsorum benigna Regia Privilegia haberent, per Majestatem quoque nostram in Anno Millesimo Septingentesimo quadragesimo tertio benignissime confirmata, ideo eosdem Incolas penes eadem Privilegia sua, tenore etiam hic Copialiter annexarum benignarum Patentium nostrarum, ipsis noviter extradatarum, imperturbate conservent. In reliquo autem sedulo attendent praefati Comitatus Officiales, ne Popae ac Graeci Ritus Episcopi illorum ab iisdem ullas illicitas & arbitrarias Collectas, multas item pecuniarias, aliasve extorsiones pro lubitu ipsorum exigere & extorquere attentent; sed neve etiam Domini Terrestres Normam iisdem in Anno Millesimo septingentesimo trigesimo septimo, respectu Obligationum Ipsi a Subditis suis praestandarum praescriptam, usque dum successive cum Comitatum interventu Urbaria Dominalia, usui & Patriae illi accomoda, suo modo confici & regulari valebunt, excedant, subditosque suos ad plus praestandum cogant; sed neque Nonam etiam, donec aliter per Nos dispositum fuerit, a Subditis suis desumere audeant; adeoque tam in his, quam aliis quoque omnibus occasionibus, contribuentem plebem ab indebitis & excessivis quibusvis Exactionibus & pressuris conservare studeant; sed nec ipsi quoque simile quid attentent antelati Comitatus Administrationes & Officiales.

Secundo; Politica quaevis & provincialia modalitate in Hungariae & Croatiae Regnis nostris passim introducta & usitata in Comitatu sibi concredito tractabunt atque curabunt, adeoque in gremio illius dum & quando necesse fuerit, Generales, cum interventu etiam, qui adesse volunt, Dominorum Terrestrium, vel eorundem Officialium, praeviae semper per Currentales (uti moris est) invitandorum, Congregationes, pro tractandis ejusmodi publicis servabunt, quam etiam ad Generales fidelium Statuum & Ordinum Regni nostri Croatiae Congregationes, semper (dum vocabuntur) unum alterumve ex gremio sui exmittent Deputatos, proponenda ibidem, si quae nomine Comitatus habebunt, proposituros & inde vicissim, dum redierint, de ibidem pertractatis & conclusis, Comitatu in proxima Generali Congregatione sua debitam Relationem scripto facturos; praecipue vero eo solerter contendunt, ut quantum Contributionale a Contribuentibus de tempore in tempus sub onere dandarum desuper Rationum debite semper exigatur & defectu absque omni persolvatur; solutum demum ad Cassam Comitatusensem colligatur, inde vero ad Cassam Bellicam Essekinii constitutam erga Quietantias Cassae Praefectorum fideliter administretur; omnia denique, quae ab Incolis quocunque titulo praestanda veniunt, eo, quo spectant, in tempore aequae praestentur & administrantur; super omnibus autem perceptis & erogatis constitutus Comitatus Perceptor mox finito Anno Militari cum requisitis probis & documentis sufficienter instructas rationes, prout in Hungaria usitatum est, Comitatu exhibebit, nolens vero vel intermittens compulsivis etiam mediis, Lege idcirco praescriptis, per Magistratum cogatur; singulariter autem etiam eo intentus sit Magistratus, ut postquam ex noviter instituenda Comitatus Conscriptione, aequa & justa Proportio